





I, 191



*Abh* XV, 8.

I, 191

QK. 15, 8

T, 191

RECTOREM ACADEMIAE  
MAGNIFICVM  
ILLVSTRISSIMOS COMITES  
VTRIVSQUE REIP VBLICAE PROCERES  
NEC NON  
GENEROSSISSIMOS ET NOBILISSIMOS  
HVIVS ACADEMIAE CIVES  
A D  
AVDIENDAM  
**O R A T I O N E M**  
Q V A  
PROFESSIONEM IVRIS  
PRIMARIAM  
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATAM  
PROXIMO DIE MERCVRII  
H. L. Q. C.  
AVSPICABIT VR  
OFFICIOSISSIME ET HUMANISSIME  
I N V I T A T  
**MICH. HENRICVS GRIBNER JCtvs.**  
*de Tit. Comit. Relat. Saxon: ex Diplomat. Henrici Mart:*

ERGONOMIA MAGNA  
MAGNOCUM  
HISTORIARUM COMITES  
ATLANTICUS RUPINUS PROGRESSUS  
HISTORIARUM  
BIBLIOTHECA PONICKAVIANA  
PROTHEMIS  
CITRINISSIMA ET HUMANISSIMA  
TROMMO DIZ MERCARI  
HIC  
ASPIRATOR  
OFFICIOSISSIMA ET HUMANISSIMA  
INVENTAT  
MIC HENRICAS GRIBNER Iota





Equor nutum prouidi *Numinis*, et iussum *Regis* et *Domini mei Clementissimi*, atque in Academiam, eandemque mihi patriam, et ad Musas veteres, et longo intervallo intermis-  
sa studia, libente animo me recipio. Quod dum aggredior, in mentem veniunt, quae de *Titulo Comitis Palatini Saxoniae in literis HENRICI Marchionis Misniae*, quem *Illustrem* vulgo dicunt, ante duo lustra, et quod excurrit, in *Academia Vitembergensi* scripsi (1). Atque eo quidem tempore secutus  
A sum

(1) Vid. *Programm. praemissum Differt. inaugur. Reichii sub Praesid. WERNHERI habitae an. 1715.* quod nonnullis auctum accessionibus extat *Tom. III. Opusc. Iur. Publ. Sect. II.*

sum diplomatum a *Viris Clarissimis* FA-  
BRICIO, SAGITTARIO, SCHLEGELIO,  
MOLLERO, WECKIO, TENZELIO, BEC-  
MANNO, STRVVIO aliisque editorum fidem  
et ex iis coniecturas dedi, quas censurae et iu-  
dicio eorum, quibus aut archiva consulendi  
facultas, aut dispersas in aliorum scriptis lite-  
ras colligendi, otium esset, submisi. Incide-  
runt post haec nonnullae chartae ineditae  
in manus meas, licuitque mihi inspicere  
plures alias, quae in archivis latent, ex qui-  
bus confirmari quae de hoc argumento à  
me dicta sunt, atque emendari etiam pos-  
sunt. Retractabo itaque coniecturas meas,  
atque paulo plenius de vsu huius elogii *in li-*  
*teris Henrici Illustris exponam.*

Atque illud quidem principio nullus du-  
bito affirmare, ante annum Sec. XIII. tri-  
gesimum, quo scriptae sunt literae, quae  
hunc titulum praferunt, a *celeberrimo*  
*STRVVIO* editae (2) *Henricum* nunquam  
*Landgravii Thuringiae et Comitis Palatini*  
*Saxoniae* elogiis usum esse, quod docent quae  
anno

---

(2) Vid. *Dissert STRVII de Comit. Palat. Sax.*  
*p. 15. add. HORNII Cod. Diplom. Num. 4.*

anno 1221. (3) 1222. (4) 1223. (5) 1225. (6)  
1226. (7) 1227. (8) et 1228. (9) prodierunt  
monu-

---

(3) Hoc enim anno primum et antiquissimum Hen-  
rici monumentum datum est, priuilegium *Cellensi*  
*Monasterio* concessum, quod post SCHLEGÉ-  
LIVM et alios exhibit *HORNIUS l. c. Diplom. I.*  
in cuius principio *Henricus Misnensis et Orientalis*  
*Marchio*, *Ludouici* autem in cuius tutela eo tem-  
pore *Henricus* erat, *Landgrauius Thuringiae et Pa-*  
*latinus Comes Saxonie* dicitur.

(4) Ad hunc ann. pertinet Diploma *Ludouici Thur.*  
*Land. Sax. Com. Palat.* quo, loco et vice chari ne-  
potis sui *Henrici* filii Domini *Theoderici Misnen-*  
*sis et Orientalis Marchionis*, in *Orientalis Mar-*  
*chia* prouinciali se praeseditse memorat. vid.  
*HORN. Dipl. II.*

(5) Hoc anno scriptum est Diploma, quod idem  
*HORN. no. III.* attulit, hoc praescripto elogio  
*Henricus Dei gratia Marchio Misnensis et Luficen-*  
*sis.* Sed scribendum est sine dubio, *Orientalis*,  
pro quo *Luficensis* titulum substituit non nemo, ut  
indicaret, per *Marchiam Orientalem Lusatiam* in-  
telligi. Neque enim in vlo alio Diplomate Lu-  
ficensis *Marchio* noster dicitur, sed *Orientalis*, quae  
vtrum ad *Lusatiam* an ad *Osterlandiam* appellatio  
pertineat, alio tempore expendam ex instituto.

(6) Huius anni sunt literae, quibus *Henricus Misniae*  
*et Orientalis Marchio* fratribus *Coenobii Cellen-*  
*sis*

monumenta , in quibus non aliis , quam  
*Misnenſis et Orientalis Marchionis* titulus  
apparet.

Hoc

*s̄is omnes possessiones , rite acquisitas , confirmat ,  
et insuper omnes Parochias in Vribere , cum omnibus  
attinentiis consert , adſtipulante honestorum  
virorum testimonio , quorum iſta ſunt nomina :  
Pobpo , Comes de Henninberc , Winemarus , Abbas  
de Porta , Hermannus , Burggrauius de nouo ca-  
ſtro , Albero de Rochewe , Ulricus de Maltiz , Bot-  
to de Sconinberc et frater eius Hermannus , Iohannes  
de Brandiz , filius Gozwini , Otto de Difgowe , et  
quam plures alii , tam Clerici , quam Laici . Eod.  
ann . Eckebardus Merſelburgensis Ecclesiae Episco-  
pus Henrico noſtro non alium , quam Misnenſis et  
Orientalis Marchionis titulum tribuit , in literis ,  
quibus profitetur , quod Heinricus in villa Oufiz ,  
ad Cellam S. Mariae pertinente , eccleſiam aedifi-  
cari atque dedicari confenserit . Testes ſunt Hen-  
ricus maior Praepositus , Heinricus Decanus , Erne-  
ſtus Scholaſticus , Heinricus Custos , etc . Heinricus  
de Warin , Otto de Lichtenhagen , Herbordus pin-  
cerna Episcopi , Werno , Marſcalcus , et alii  
quam plures tam Clerici , quam Laici .*

(7) Non niſi vnum mihi occurrit , quod ad hunc an-  
num referri poſſit , Diploma , quo Iutta Marchio-  
nissa Misnenſis , et Heinricus Misnenſis et Ori-  
entalis Marchio protestantur , quod Heinricus Misn.  
et Orient. Marchio , ad instantiam et roga-  
tum Do-  
mini

Hoc vero ann. 1230. si fides est habenda  
diplomati *Struviano*, adhibuit *Henricus* no-  
ster titulum *Thuringiae Landgr. et Saxon.*

Com.

---

mini *Alberti Magdeburgensis Archiepiscopi*, et de  
voluntate sua, et consilio *Lodewici Thuringiae*  
*Landgrauii*, Ecclesiae in Ryzowe bona quaedam  
in Widowे contulerit, Dominae *Iuttae*, cuique  
filii *Heinrici* sigillo appenso.

(8) Prouoco ad literas, per quas *Henricus*, Dei gra-  
tia, *Orientalis et Misnensis Marchio*, causam,  
quae inter venerabilem Virum *Heinricum Abba-*  
*tem Cellae S. Mariae* ex parte vna, et *Sifridum de*  
*Lubin* ex parte altera, de proprietate montis ibi-  
dem et super aliis iuribus, iudiciis et possessioni-  
bus versabatur, composuit. Testes sunt: *Albertus*  
*Praefectus de Donin*, *Otto Praefectus de Dewin*, et  
*Vlricus, Notarius Marchionis.*

(9) Ad hunc annum duo memorabilia allegare pos-  
sum monumenta, vnum, quo *Henricus, Misnensis*  
*et Orientalis Marchio*, profitetur, quod causa,  
quae inter fratres de *Cella S. Mariae* ex parte vna,  
et *Sifridum, Praefectum de Liznck* et fratrem eius  
*Alberonem*, ex altera parte, versabatur terminata  
erat, cui, praeter alios testes plures, subscripsit,  
*Meinherus Praefectus Misnensis, Otto et Bodo fra-*  
*tres de Ylburch, Heinricus Dapifer de Burne* etc.  
alterum, quo idem *Henricus, Misnensis et Orien-*  
*talis Marchio*, pro remedio patris sui, *Theodori-*  
*ci*, quondam *Misnensis Marchionis*, et de con-

A 3 sensu

*Com. Palat.* ex quo infert *V. Cl.* illum non tantum *Henrico Raspone* superstite, sed etiam ante impetratam, a *Friderico II. Imperatore*, investitaram, haec elogia usurpassé. Spectam igitur et dubiam mihi videri illarum tabularum auctoritatem dixi, in qua sententia persisto, persuasus firmiter, aut eo anno non scriptas esse, quem prae se ferunt, aut ad *Henricum nostrum*, cui tribuit eas *STRVVIVS*, non pertinere, aut titulum *Landgrauii Thur. et Com. Palat. Sax.* in autographo non reperiri. Et quod ad annum quidem attinet, suspicarer in numero illius latere mendum, nisi testium, qui subscripterunt, aetas illi satis conveniret, ex quibus *Engelhardus, Numburg. Episcopus*, ann. 1242. aut ante ea certe tempora ob-  
iit,

---

sensu *Alberti, Duci Saxoniae, sui tutoris* conce-  
dit, vt fideles sui, *Otto et Bodo*, fratres de *Ylburg*,  
villam *Meinardiz*, quam ab ipso *Henrico* in feo-  
do tenuerunt, Ecclesiae in *Mollberch* conferant.  
Datum *Burne* in castro *Dapiferi*. Ex illo appar-  
ret transactioni fratrum *Cellensium* auctoritatem  
et confirmationem *Marchionis nostri* accessisse, ex  
hoc *Albertum Ducem Saxoniae* eius gessisse tutelam,  
cuius rei non memini mentionem fieri ab iis, qui  
res gestas *Henrici* exposuerunt.

iit, (10) quibus Comitis Palat. elogium titulis suis Marchio noster inseruit. Ad *Henricum* qui *Raspe* dicitur, si referre velis, vel solus obstabit titulus *Marchionis Misniae et Orientalis*, quo ille nunquam vsus est, (11) neque

(10) Obiisse illum anno 1242. *acta et facta Praefulum Numburg.* quae *PAVLINI* edidit p. 138. tradunt, quae allegauit ipse in *Opusc. Iur. Publ. Tom. III. S. 2. §. 6. p. 37.* Itaque in locum anni 1236. qui vitio typorum irrepit, substitui debet hic annus 1242. Nam post annum 1236. superstitem fuisse *Engelhardum*, vel literae, quibus Monasterio religiosarum foeminarum in *Grizlawe* suae Dioecesis 18. mansos contulit, quos eidem Ecclesiae Numburg. ministeriales partim vendiderant, partim donauerant, et monasterium hoc in *B. Apostol. Petri et Pauli ac suam protectionem recipit*, quae datae sunt apud *Sconenberch.* an. 1238. V. Non. Jul. et transactio inter *Henricum Illustr.* et eundem Episcop. *Engelhardum*, eodem anno inita do-  
cent.

(11) Ut taceam diplomata a *TENZELIO*, *PAVLINI*, *SAGITTARIO*, *LEVKFELDIO* aliisque edita, ad quae prouocaui d. §. 6. lit. c. ineditae quoque, quae supersunt plures, chartae, idem confirmant, ex quibus eas allegasse sufficiat, quibus *Henricus Thur. Landgr. et Sax. Palat. Com.* anno 1233. Monasterio in *Reinstorff* ad instantiam *Conradi* et

*Fride-*

neque causam habuit , cur vteretur. Hoc elogium si tollas non multum equidem repugnaverim ei, qui *Henricum Raspe* autrem Diplomatis huius esse contendat, quamvis aliter visum sit *Celeberrimo STRVPIO*, qui *Henrico* Illustri id vindicauit. Mihi hoc vnum sufficit , si ad *Henricum* Illustrem omnino referendum sit , titulum *Landgravi* et *Com. Palat. Saxon.* temporis , quo scriptum est, rationibus non conuenire, cum omnes Marchionis nostri literae , quae et ante annum XXX. huius seculi, et post haec ad annum XLII. vsque scriptae sunt, illo elogio careant, atque plures aliae causae obsterint , quo minus illo tempore *Henricus* titulos hos usurpare posset. (12) Sane hoc ipso anno XXX. Henricus noster *Ecclesiae Sanctorum Cisterc. Ord. in proprietate sua Mulberc* per fideles suos *Ottонem* et *Bodo-*

---

*Friderici fratrum de Tannenrode* omne ius aduocatiae in 5. mansis in *Almarisdorf* et in *Schartouwe* sitis , quod *Theodoricus de Subach* ab ipsis fratribus iure feodi susceperebat , confert.

(12) Quas pluribus persequitur Cl. C. F. REINHARD. *Dissert. de Tit. Comitis Palat. Saxoniae in literis Henrici Illustris orig. et rat. p. 8. seqq.*

*Bodonem Advocatos de Ilburg* fundatae, duo  
allodia *Boynz* et in *Brotewiz*, aliaque bona  
et iura concessit ac confirmavit, nulla *Land-*  
*graviatus Thuring.* et *Comit. Palat. Saxon.*  
facta mentione. Sequentे anno XXXI. idem  
*Henricus* ad preces *O. (Ottonis) de Ilburg*  
fidelis sui et pro remedio animae *B. (Bodo-*  
*nis)* fratris eius, allodium in *Luckowe* iuxta  
oppidum *Belgere* situm, quod idem *B.* ab ipso  
*Landgrauio* iure tenuerat feodali, Ecclesiae  
*Sanctimonialium* in *Moleberc* contulit, non  
alio quam *Misnens.* et *Orient. March.* titu-  
lo adhibito. (13) Eadem est ratio litera-  
rum, quae ann. 1233. (14) 1234. (15)  
1235. (16) 1238. (17) 1239. (18) scri-  
ptae sunt.

B Anno

---

(13) Add. alias eiusd. ann. literas, quas exhibent  
*Opusc. Iur. Publ. l. c. §. 7. lit. a. p. 38. et HORN.*  
*Cod. Diplom. no. V.*

(14) Vid. *HORN. l. c. dipl. VI. et REINHARD. l. c.*  
*p. 10.*

(15) *HORN. dipl. VII.*

(16) Diplomati, quod exhibit *HORN. no. VIII.* addo  
duo alia, *vnum quo Ecclesiae S. Mariae in Grizla-*  
*we mansum in Chorwete* situm, cum omni prouen-  
tu et vtilitate confert; *alterum,* quo Ecclesiae  
*S. Afrae*

Anno M CC XL. diem suum obiit Conradus Landgrauius, ac paulo post anno 1241. Hermannus etiam Landgrauius decessit, (19) qui-

---

S. Afrae in Misna, 4. mansos, fitos in villa Richenberg, quos Timo de Radeberc in Meinheri, Burggrauui de Misna et hic in domini Marchionis manus resignauit, cum omni iure et omnibus pertinentiis tradit. Dat. Misne. 3. Calend. Decembr. 1235. Indict. VII.

(17) Hoc anno Henricus Misn. et Orient. March. Portensi Monasterio 4. mansos et dimidium in villa Tuschwiz, cum vinea et quibusdam fructetis, contulit. Datae sunt literae in Lipzich 2. Cal. Maii. ann. 1238. Indict. XI. Ad eund. ann. pertinent literae, quibus idem Marchio protestatur, quod Conradus miles de Lobde, cognomine Pusler, Ecclesiae Sanctimonialium in Grizlawe 3. mansos et dimidium, cum suis pertinentiis, in superiori villa Grizlawe vendiderit. Datae sunt Wizenuelis, 4. Cal. Ian. 1239. add. *supr. no. 10.*

(18) Hoc anno datae sunt literae, quibus Henricus D. G. Misnenf. et Orient. March. Coenobio Cellensi villam Nitswaz cum pertinentiis, contulit, subscripserunt inter testes: Frater COVNRADVS, quondam LANDGRAIVS, HENRICVS, Comes de Schwarzenburch, etc. Theodericus Praepositus de Nuenburch, etc. Hermannus de Sufeliz, Oulricus de Pach, Heinricus Marschalcus, Guntherus et Rudegerus, fratres de Hugevviz, Wernherus de Ertmars-

quibus superstribus nulla spes esse poterat Hen-  
rico nostro succedendi Henrico Rasponi, nullum  
Jus titulos *Thur. Landgrauii et Comit. Palat.*  
*Saxon.* sibi asserendi. Sed nec quae his an-  
nis scriptae sunt Marchionis nostri literae,  
alium quam *Marchionis Misn.* et *Orient.* ti-  
tulum p[re]se ferunt, (20) vt ante inuestitu-

B 2

ram

*marsdorph, Hermannus Karaz, etc. et alii quam plures.* Eod. ann. idem *Henricus* confirmavit monasterio *Cellensi* emtionem 5. mansorum in villa *Leine*, prohibuitque insimul, ne quis ausu temerario dictum monasterium in suis possessionibus perturbet. Testes sunt *Heidenricus Misnens.* et *Theodericus Nuenburgensis Praepositi, Burchardus, Burggrauius de Querenuorde etc. Otto de Ilburg, Heinricus Marschalcus et Counradus, Camerarius, fratres de Gnammensteine, Albertus Dapifer de Burne, Guntherus de Huguviz, Wernherus de Ertma-* restorp*b* et alii quam plures. Datae sunt *Grimme* Calend. Sept. anno 1239. Indict. XII.

(19) *Quod ex historia Landgrauiorum Thur. Cap. XLIX.* monet REINHARD. l. c. p. 9.

(20) Ad ann. 1240. pertinet diploma, quod HORN. exhibet no. IX. ad ann. 1241. dipl. X. ab eod. editum, quibus tria addo alia, vnum quo *Henricus Misn. et Orient. March.* profitetur, litem inter monasterium *S. Mariae in Cella* et *Consules Vribergensis* oppidi compositam esse, cui inter alios testes subscripterunt *Gerhardus Magister mon-* tium

ram Friderici II. ab elogio *Landgr. Thur.*  
et *Comit. Palat. Saxon.* satis certum sit, pror-  
fus eum abstinuisse.

Peruenimus ad annum M CC XLII. quo  
Imperator *Fridericus II.* successionem in  
*Landgrauiatum Thuringiae* et *Comitiam Pal-*  
*lat. Saxon.* per inuestitaram, quam abusuam  
vocant, *Henrico* confirmauit. (21) Ex eo  
igitur

---

tiūm, *Iohannes de antiquo monte*, *Cuneko de Ci-*  
*uitate Saxonum* etc. *Henricus Rex*, et *Counradus*  
frater suus, *Arnoldus de Arena* etc. Dat. ann.  
1241. 6. Idus Augusti: alterum quo tradit *Euerhar-*  
*do Abbatii* et *Conuentui eiusdem Coenobii* pacifi-  
cam possessionem, proprietatem et dominium 10.  
mansorum, prati et tabernae in villa *Oztrovve*,  
quae fratres de *Ztrele* eidem vendiderunt et resi-  
gnarunt. Testes resignationis sunt *Meinherus*  
*Misnens. Burggrauius* et *Hermannus filius eiusdem*,  
*Hermannus de Lodeburg*, *Meinherus de Vizcenburg*,  
*Thimo de Schellenberg*, *Hugo de Wolckenburg*,  
*Heinricus Marschalcus* et *Counradus Camerarius*,  
fratres de *Gnannensteine*: tertium quo Episcopo,  
Decano et capitulo *Merseburgensi* decimas annis  
singulis de pago et rure villae *Leine* resignauit,  
quod datum est in *Wizenuels* 16. Cal. Ian. 1242. In-  
dict. XV.

(21) Literas Friderici II. post SCHVBARTVM,  
WECKIVM et LVNIGIVM sifit HORNIUS  
Dipl. XII.

igitur tempore licuisset ei forte titulis suis  
inserere haec elogia, sed non inseruit, solo titu-  
lo *Misnen sis et Orientalis Marchionis* in di-  
plomatibus, quae ad hunc annum per-  
tinent, contentus. (22) Eadem ratione usus  
est in literis, quae anno 1243. (23) et

B 3 245. 1245.

(22) Huc refero literas, quibus Marchio noster Ab-  
bati Cellensi *Euerardo*, eiusque Conuentui 21.  
mansos in villa *Ganeck* vendidit pro 205 marcis  
probati et examinati argenti. Datae sunt anno 1242.  
3. Calend. Ian. Indict. I. *Indictio* enim docet eas ad  
annum 1242. non ad annum 1241. pertinere.

(23) Hoc anno *Henricus M. et O. M.* pro salute sua,  
nec non pro remedio animae felicissimae recorda-  
tionis *Constantiae*, collectalis suae, ius quod ipsi et  
eius successoribus in iudiciis per bona totius Abba-  
tiae *Cellensis* competiit, monasterio S. Mariae in  
*Cella* et ibidem Deo famulantibus remisit, obtulit  
et donauit. Cuius rei testes fuerunt: *Conradus*,  
*Misnen sis Episcopus*, *Theodericus Postulatus Nu-*  
*nenburgen sis*, *Heinricus Praepositus Misnen sis*,  
*Bernardus Abbas de Bouch*, *Heinricus Prior Cel-*  
*len sis*, *Meinherus Burggrauius Misnen sis*, *Ulricus et*  
*Otto*, fratres de *Nozzin*, et alii quam plures. Datae  
sunt in *Cella S. Mariae* ann. Domini 1243. Non. Jun.  
Indict. I. Eodem anno idem Marchio protestatur,  
quod *Henricus de Bolin* et *Bertoldus* filius eius,  
quaedam bona in et circa *Morelowe* sita Ecclesiae  
Sancti-

1245. (24) scriptae sunt. Neque alio titulo *Henricum* compellauit *Fridericus II. Imper.* in diplomate, quo donationem monasterio Cellensi ab eo factam, confirmauit anno 1245. mens. Mart. (25) Quare nescio, an idoneis documentis probari possit, quod *Celeb. STRVVIVS* asserit (26) *Henricum* Illuminem

Sanctimonialium in *Grizlavve* pro 14. marcis vendiderint, et in sua praesentia contulerint. Dat. *Wizenuels* ann. 1243. 19. Cal. Ian. Indict. II.

(24) Quam in rem allegare possum literas *Henrici*, quibus 6. maltaria filiginis in molendino *Coweritz* et quoddam virgultum situm apud villam *Viriz*, quae ipsius fideles Dominus *Boto de Ilbure*, et Otto frater suus ab ipso *Heinrico* in feodo habuerunt, et in manus eiusdem resignarunt, Ecclesiae *Dominarum* in *Mulberc* confert. Datae sunt Grimmis anno Domini 1245. III. Indict. XII. Cal. Octobr.

(25) Subscripsérunt tabulis *Albertus*, venerabilis Patriarcha Antiochenus, *Berboldus*, Patriarcha Aquilegensis, *Bernhardus*, Archiepiscopus Panormitanus, *Nicolaus*, Archiepiscopus Tarentinus, *Fridericus*, filius quondam illustris Regis Romanorum *Henrici*, *Fridericus* filius illustris Regis Castellae, Magister *Petrus de Vinea*, Magister *Taddeus de Sueffa*, magnae imperialis Curiae iudices, et alii quam plures.

(26) *Dissert. de Comit. Palat. Sax.* p. 15. seqq. p.

strem et ante inuestituram *Friderici II.* et post eam, viuo *Henrico Raspio* titulum *Comit. Palat. Saxon.* adhibuisse; ausim potius contendere, ante huius obitum nunquam omnino Marchionem nostrum literas hoc elogio insigniuisse. (27) Neque quicquam me de hac sententia dimouent diploma-ta, quae *TENZELIVS* (28) et *REINHARDVS* (29) excitarunt, quibus ann. 1246. *Henricus Sux. Comitem Palat.* se inscripsit. Nam si verum est, quod post autores *Bibliothecae novae Hallensis* monuit *HORNIUS*, ineunte anno hoc *Henricum Raspe* vitam cum morte commutasse, facile constabit ratiō, cur in literis, quas attulerunt Viri Clariss. aucti fuerint *Henrici* nostri tituli, neutiquam vero ex iis demonstrari poterit, dari

---

(27) Evidem subdubitaui olim ea de re; *Opusc. Iur. Publ. Tom. III. S. II. §. 2. et 4.* sed postquam tantam diplomatum copiam inspicere mihi licuit, plane adducor in eam sententiam, superstite *Henrico Rasponē*, *Henricum Illustrem* nunquam omnino titulos *Landgr. Thur.* et *Comit. Pal. Sax.* adhibuisse.

(28) *TENZELIVS Suppl. Histor. Goth. P. II. p. 626.*  
add. *HORN. no. XIV.* et *Opusc. I. P. l. c. §. 9.*

(29) Vid. *REINHARD. l. c. p. 5. seqq.*

dari monumenta ab *Henrico* nostro ante *Raponis* obitum conscripta, quae *Comit. Pal. Saxon.* elogium paeferant.

Supereft, vt de vſu huius tituli post fata *Raponis* dispiciam. Atque ne ex eo quidem tempore *Henricum Illust.* constanter illum retinuisse, quae *Celeb. STRV VII* est sententia, (30) plurimum, quae hoc elogio carent, literarum autoritate satis, puto, a me euictum fuit. (31) Dederam tamen *V. Cl.* in diplomatibus, quae ante ann. 1260. conscripta sunt, hos titulos inueniri. Et inueniuntur sane in omnibus, quae ante me produxerant, quos allegavi *MOLLERVS, SAGITTARIVS, TENZELIVS, SCHLEGELIVS, LEVCKFELDIVS* aliique. Quae res effecit, vt sedulus illorum monumentorum indagator, *HORNIVS*, in iis, quae his annis data sunt, haec elogia nunquam non reperiri, sine dubitatione affirmaret. (32) Nunc aliter sentio, et *Henricum* his titulis, etiam

---

(30) l.c. p. 15.

(31) vid. *O. J. P.* l.c. §. 10. p. 41.

(32) Vid. *HORN.* cap. 8. §. 15. p. 259. add. eiusd. *Cod. diplom.* no. XV. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX.

etiam ante ann. LX. licet frequenter illis usus  
fuerit, interdum abstinuisse contendō. Ne-  
que enim alio, quam *Misnensis et Orientalis*  
*Marchionis* elogio inscriptae sunt literae, qui-  
bus eo ipso anno, quo *Rasponem* deceſſiſe  
dixi, post ejus obitum 8. mansos et dimidium,  
apud villam *Zekeriz* sitos, Ecclesiae domi-  
narum in *Mulberg* contulit. (33) Comites quo-  
que *Thuringiae*, qui ann. 1249. Henrico Il-  
lustri solenni homagio se obſtrinxerunt, eum-  
que pro vero domino et *Landgravio Thuri-*  
*ngiae* se habituros promiserunt, nulla *Palat-*  
*Saxon.* facta mentione, solo *Marchionis*  
*Misnensis* titulo ipsum appellant. (34) Eo-  
dem anno *Henricus Dux Polon.* foedus cum  
*Henrico* nostro iniit, in cuius tabulis *Misnen-*  
*sis Marchio* dicitur, ceteris elogiis omis-  
sis.

C

---

(33) Datae sunt *Misne anno 1246. Non. Iun. Indict.*  
*IV.*

(34) Literae hae, quas *reversales* vulgo dicunt, paſ-  
sim extant, sed emendate magis, quam antea et  
prorsus ad authenticarum tabularum fidem *bey*  
*dem Ungrund des so genannten unumſtäſlichen Be-*  
*weſes der Schwartzburgiſchen Immediatet aus der*  
*Historie des zur Rœmischen Kœniglichen Würde*  
*gewehlten Graf Günthers des XXI.*

sis. (35) Sed et in literis, quibus *Henricus Coenobio Sanctimonialium vallis B. Mariae* vil-  
lam *Telschwiz* ann. 1251. tradidit, (36) et in  
diplomate, quo eidem *Coenobio* eodem anno  
molendinum contulit, quod *Sifridus de Mungelin* in manus ipsius resignauerat, (37) non  
alium, quam *Misnensis* et *Orientalis Marchionis* titulum sibi sumvit. In sequentis anni  
1252. duae occurunt chartae, quae elo-  
gio

(35) In his literis *Henricus DVX POLONIAE* pro-  
statur, quod cum *Henrico Marchione Misn.* con-  
cordauerit in hunc modum, quod ille ipsi *contra fratrem* suum adstare, et nunquam cum ipso con-  
cordare velit, nisi hoc fuerit ex sua conscientia et  
voluntate, it: quod iuuare ipsum velit, vt terram  
fratris recuperare possit, qua recuperata Marchio-  
ni nostro promittit ciuitatem *Crofnam*, et castrum  
et terram ad *Crofnam* pertinentem, aut totam ter-  
ram inter *Quissam* et *Poberam*, usque ad syluam;  
promittit etiam eidem centum et quinquaginta  
marcas auri, etc. *Henricus contra illi pollicetur auxilia*, aut personaliter, aut per suos praestanda etc.  
Datae sunt literae *Misne anno 1249. 12. Calend. Maii. VII. Indict.*

(36) Datae sunt *Vridewald 6. Cal. Iun. anno 1251. IX. Indict.*

(37) Dat. apud *Rochliz anno 1251. 7. Id. Aug. In-  
dict. IX.*

gio *Landgr. et Comit. Palat. Saxon.* ca-  
rent, (38) quod aliis, quae eodem anno da-  
tae sunt, praescriptum legitur. Desunt quo-  
que hi tituli tabulis, quibus ann. 1254. *Hen-*  
*ricus Coenobio Sanctimonialium vallis S. Ma-*  
*riae*, prope *Mugelin*, 3. mansos sitos in villa  
*Bascewiz*, ad resignationem militis, Joha-  
niss *Kezzelbut*, iure proprietatis conce-  
fit, (39) quibus tamen eod. ann. usus est in  
aliis (40) et in iis quoque, quibus monasterio

C 2

*Cellen-*

(38) *Prima complectitur confirmationem donationis*  
*8. mansorum Coenobio Sanctimonialium vallis B.*  
*Mariae prope Mugelin factae, reseruata redemtio-*  
*ne. Dat. Misne anno 1252. Prid. Non. Augusti. Indict.*  
*X. In altera dilecto compatri suo, Counrado Mi-*  
*anula sniens. Episcopo decimas quasdam in Marchia Mi-*  
*den snensi et Lusicensi, aliaque iura concedit. Datae*  
*Misne anno 1252. Cal. Iun. Indict. X.*

(39) *Scriptae sunt Libenthal anno 1254. 7. Idus No-*  
*uembr. XIII. Indict. Desunt etiam, ni fallor, in*  
*der Verschreibung des Voigts von Gera, Weyda*  
*und Plauen gegen den Marggrafen von Meissen,*  
*quae ad eundem annum referenda est.*

(40) *E. g. in literis, quibus litem inter Abbatem et*  
*Conuentum de Cella, ex vna, Petrum, Ulricum et*  
*Ottonem de Nozin, ex altera parte, composuit, ex*  
*quibus appetet, quod cum Marchio Cholme in pro-*  
*uin-*

*Celleris contulit 2. Talenta in villa Schopam*  
*et decimam novae vineae; sitae in extrema*  
*parte montis oppositi castro Misnensi contra*  
*occidentem, quam dilectus ac fidelis suus*  
*compater, Meinherus, Misnensis Burggravius*  
*eidem monasterio donauerat, quas his elogis*  
*destitutas credidit Consult. REINHARDVS. (41)*  
*Quae anno 1255. scriptae sunt pleraque*  
prae-

*uinciali placito praesideret, Abbas pro se et conuen-*  
*tu, nec non milites memorati in iudicio apparue-*  
*rint, et inter ipsos super omnibus controversis*  
*fuerit concordatum. Inter testes, qui cum haec*  
*gererentur, praesentes fuerunt, commemorantur*  
*Conradus Misn. Episc. Henricus maior Praepositus,*  
*Sifridus Decanus, Ulricus, Praepositus in Büdesin,*  
*Christophorus Notarius Marchionis, Godescalcus,*  
*Canonicus Misnensis, Heinricus, Abbas in Buch,*  
*Meinherus Praefectus in Licensick, Albertus, Prae-*  
*fectus in Dewin, Otto, Praefectus in Donin, Bodo*  
*et Otto, fratres de Ilburc, Ulricus de Maltiz, Ioan-*  
*nnes de Blankenstein. Datae Id. Ian. anno 1254.*  
Ind. XII. Aliae hui. anni eodem ornatae elogio  
leguntur ap. HORN. *Analect. ad Hist. Henr. III.*  
*p. 360.*

(41) Vid. *Dissert. cit. p. 18.* Datae sunt hae literae  
*Misne in Caminata (non in comitatu, vt legit*  
*idem V. Cl.) Marchionis 10. Cal. April. 1254. In-*  
*dicit. XII.*

praefixos habent hos titulos, (42) qui desiderantur tamen in iis, quarum idem REINHARDVS meminit, (43) et in duabus aliis, quarum summas in margine (44) dabo, nec non in iis, quibus proximo ann. 1256. *Praeposito Abbatissae et Conuentui Sanctimonialium Ecclesiae vallis S. Mariae 2. mansos, ab Hartungo de Rideburc resignatos, proprietatis iure contulit.* (45)

In ceteris diplomatis, quae ante annum 1260. conscripta sunt, *Thur. Landgr. et Sax. Com. Palat.* titulus ubique subiicitur

C 3 elo-

(42) Vid. HORN. *Cod. Dipl.* no. 22. 23. 24. 25.

(43) REINHARD. *I. c.* p. 18.

(44) a) Literae, quibus Henricus Misn. et Orient. Marchio confert coenobio Sanctimonialium vallis S. Mariae prope Mugelin duos mansos in villa Basewitz per Wernerum de Nuendorf resignatos. Dat. Misnae anno Domini 1255. *Calend. Iul. Indict. XIII.* b) Literae, quibus Henricus Misnensis et Orient. Marchio approbat donationem, per quam dominus Sifridus de Mugelin, bona sua mobilia vniuersa coenobio Sanctomialium vallis S. Mariae prope Mugelin ita donavit, ut ea post eius obitum habeant. Dat. Misnae anno 1255. *Calend. Iul. XIII. Indict.*

(45) Datae sunt in Sufeliz anno 1256. *Id. Febr.*

elogio *Misn. et Orient. Marchionis*, ex quibus  
iis, quae aliis laudata sunt, vnicum addo, quo  
notum facit *Henricus, Ottone* militem, di-  
ctum de *Gerhardesdorff*, Abbatu et Conuen-  
tui *Cellensi*, Cisterciensis Ordinis, partem vil-  
lae, quae *Schero* dicitur, pro 250. marcis ven-  
didisse, et coram se, cum in sede *Cholmensi*  
in iudicio federet, cum vxoris suae, *Berchte*,  
consensu tradidisse. (46) Sed nec omitte-  
re possum literas, quibus *Agnes*, vxor *Mar-  
chionis* nostri ann. 1258. iisdem titulis vfa est,  
dum censum 21. solidorum, cum consensu so-  
roris suae dulcissimae, *Margaretha*, vxoris  
filii sui perdilecti, *Alberti Thur. Landgr.*  
*Cellensi* monasterio obtulit. (47)

Ex

(46) *Darae* sunt anno 1259. 5. *Calend. Dec. Indict. II.*  
Subscriperunt inter testes *Chunradus Misnenensis E-*  
*piscopus, Sifridus de Mugelin, Albertus dapifer de*  
*Burnis et alii plures.*

(47) Utitur autem hoc titulo: *AGNES* Dei gratia  
*Misnensis et Orientalis Marchionissa, Thuringiae*  
*Landgravia et Saxoniae Com. Palatina.* Testium  
nomina sunt, *Heidenricus de Foresto, Capellanus*  
*Dominae Agnetis, Albertus Plebanus de indagine,*  
*Christanus de Buntense, Heinricus de Lichtenstein,*  
*Camerarius dominae Agnetis. Dat. anno Dom. 1258.*  
*Calend. Sept.*

Ex iis, quae ab anno 1260. ad annum  
vsque 1266. prodierunt, instrumentis, sunt  
quae faciant *Landgraviatus Thur. et Comit.*  
*Palat. Saxon.* mentionem, sed pauca, (48)  
pleraque intermittunt; quod constat ex iis,  
quae sunt adducta ab aliis, (49) quibus vnum  
ex pluribus, idemque ineditum, subiungo. (50)

Post

(48) *Vnum*, quod anno 1261. datum est, habet  
HORN. *Cod. Dipl.* no. XXX. aliud, quod ad an. 1266.  
pertinet, *idem* no. XXXVI. ficitur, adde *Opusc. Iur.*  
*Publ. Tom. III. p. 42.* ibique WECKIVM *Chron.*  
*Dresd.* p. 469.

(49) Vid. HORN. *Cod. Dipl.* no. 31. 32. 33. 34. 35. 37.

(50) Quod exhibeo, ad historiam *Lipsiae* nostrae  
pertinet. Testatur in eo *Henricus*, quod tunc, cum  
*terra* dilecti *fili* sui *Theoderici*, in sua potestate  
et dominio constituta esset, lis inter *Sanctimoniales S. Mariae* in *Lipz* et *Henricum de Talwiz* de  
bonis in *Tekelwiz* suborta fit, ipse autem bona  
eadem eisdem dominabus adiudicauerit, memora-  
taeque Ecclesiae et *Sanctimonialibus* ibidem Deo  
famulantibus *tutores* et *conservatores* constituerit.  
Testes vero et *tutores* dictorum bonorum, qui  
huic causae interfuerunt, sunt nobiles viri: *Hen-*  
*ricus de Lobdeburg*, *M. de Vizenburg*, *H. de A-*  
*mendorff*, *Otto Senior de Oztrov*, *E. de Lizowe*,  
et *H. de Griben*, et alii plures. Datae Tarant 1266.

4. Non. Mar.

Post annum 1266. titulos *Landgr. Thur.*  
et *Com. Pal. Sax.* prorsus depositis *Henri-*  
*cum nostrum*, *SAGITTARIVS* (51) olim  
censuit, ego non negavi, in quibusdam oc-  
currere tabulis ista elogia, (52) dixi tantum  
a plerisque abesse, ab editis in primis, quae  
eo tempore sola sequi mihi licuit. Itaque lu-  
benter largior, in aliis quoque eos deprehen-  
di, modo mihi vicissim detur, in plerisque  
non inueniri, quod facile concedent, qui, quae  
post haec tempora data sunt, diplomata, cu-  
rate euoluent. Sed ne frustra hoc dixisse  
videar, iuuabit pluribus haec persequi, et sin-  
gulorum annorum habere rationem.

In literis igitur, quae ann. 1267. conscrip-  
ptae sunt, hos titulos non licuit mihi repe-  
rire. (53) Ad annum 1268. literas, quibus  
curiam

(51) Hist. Lusat. vid. HORN. cap. 8. §. 16. p. 259.

(52) Imo ipse prouocauit ad literas, quae anno 1268.  
scriptae sunt, his titulis exornatas. vid. O. I. P. l. c.  
p. 42. lit. l. add. REINHARD. l. c. p. 19.

(53) Duas exhibet HORN. dipl. 38. 39. quibus addam  
duas alias: a) literas quibus *Henricus Misn.* et *Or.*  
*March.* protestatur, quod eum consensu heredum  
fiorum *Alberti Thuringiorum Landgrauii* et *Sax.*  
*Com. Pal.* et *Theoderici Marchionis de Landesberc,*  
42. Man-

curiam *Seuselitz*, Sanctimonialibus *Ord. S. Clarae*, pro clauſtro, deuota donatione contuſit *Henricus*, produxit integras *HORNIUS*, (54) in

42. Mansos in villis *Reichenbach* et *Probisteshagen*, quos *Conuentus Monasterii B. Petri Apostoli Montis Sereni* ab *Alberto dapifero*, dicto de *Burne*, comparauerunt, praediſto monaſterio in placito ſuo prouinciali *Lomats* dederit et tradiderit. *Dat.* apud *Tharanum* anno 1267. b) literas, quibus idem *Henricus* profitetur, quod curia *Misne* in aquatrico caſtro ſita, in qua capella B. Iacobi Apostoli eſt conſtructa, ad eandem capellam pertineat, non ad *caſtrenſe feodium*. In quibus iplis literis *Albertus*, qui *Thur. Landgr. et Sax. Com. Pal.* titulo vtitur, recognoscit et protestatur, ſe a patre ſuo Domino *Henrico Illustr. Misn. et Or. March.* praeſentibus multis nobilibus et aliis militibus, ea, quae praemissa ſunt, audiuiſſe et rata habuiſſe. Testes ſunt *Comes Ernestus de Glichin*, *Comes Henricus de Hontein*, *Henricus Burggrauius de Donyn*, *Iohannes Burggrauius de Wittin*, *Meinherus Burggrauius de Misnenſis*, *Albertus Dapifer de Burne*, *Henricus de Waldowe*, *Conradus de Luppe*, *Iohannes et Henricus fratres de Siden*, et alii quam plures fide digni. *Dat.* in *Taranto* anno *Domini* 1267. 2. Idus Aug.

(54) In *Analect. ad Histor. Henr. Illustr.* p. 362. atque hae literae illae ipſae eſſe videntur, quarum *REINHARDVS* meminit p. 19. *Alias eiusd. ann. char-*

D

tas

in quibus et ipse et *Albertus*, *Thur. Landgr.*  
et *Sax. Com. Pal.* titulo vtitur, a quibus tam  
en *Henricus* in aliis, quae sequente anno  
1269. datae sunt, se abstinuit. (55) Eodem  
elogio carent quotquot obseruaui diplomata,  
 anni 1271. (56) et 1272. (57) atque duo alia,  
 quae

---

tas, sed quibus haec elogia defunt, exhibet idem  
HORN. *Cod. dipl. no. 40. et 41.*

(55) Vid. BECMANNI *Hist. Anhalt.* p. 166. HORN.  
*Cod. dipl. n. 42.* Sed et eadem elogia absunt a duobus  
diplomatibus ineditis huius anni, ex quibus  
unum datum est ap. Tarant 5. Id. Aug. anno 1269.  
alterum 10. Cal. Dec. eod. ann. praesentibus testi-  
bus Venerab. Dom. *Wydegone*, *Misnenſi Episcopo*,  
*Domino Bernhardo*, *Misnenſi Decano*, *Magistro*  
*Geuehardo*, Praeposito in Hayn, *Curiae Protonota-*  
*rio*, Magistro *Heinrico de Kyreberc*, *Alberto dapi-*  
*fero de Burne*, *Heiprico Camerario de Gnanſtein*,  
et aliis quam plurimis fide dignis.

(56) Vid. O. I. P. l. c. p. 42. lit. n. et p. 45. HORN.  
*Dipl. 44. 45. 46. 47. 48. addo duo alia 1) datum est*  
Tarant per Magistrum *Gebehardum*, Praepositum  
in Hayn, *Protonotarium Marchionis*, 2) *Dresdae* 7.  
*Id. Iul. anno 1271.*

(57) Huius anni allegabimus quinque chartas: a) qua  
en *Henricus Misn.* et *Or. March.* bona, quae *Otto de*  
*Dobiz*, et fratres eius in antiquo *Lomaz* ab ipso ti-  
tulo feodali tenuerunt, et in manus eiusdem libere  
refigna-

quae anno 1274. (58) et plura, quae an. 1276.  
data sunt. (59)

Non

resignarunt, ob remedium animae suae, nec non  
quondam dilectae coniugis suae, Dominae *Agnetis*,  
bonae memoriae, clauistro Sanctimonialium in *Seu-*  
*seliz* in proprium dat; atque cauet, ne quis villico-  
rum suorum dictas Dominas, vel officiales earum-  
dem, in bonis eisdem impedire praesumat. Dat. in  
*Wilin* anno 1272. feria 6. ante Palmas. b) qua  
clauistro Sanctomialium in *Seufeliz*, ob remedium  
animae suae, nec non quondam dilectae coniugis  
suae, Dominae *Agnetis*, bona memoriae, vniuer-  
sa bona in *Cerin*, quae *Hermannus*, miles suus, de  
*Promeniz*, libere resignauit, tradit. Dat. in *Wilin*  
anno 1272. feria 4. post Festum beatorum Aposto-  
lorum *Philippi* et *Iacobi*. c) Data est *Dresdae* in  
domo minorum fratrum 5. Id. Jun. anno 1272.  
d) Qua eidem Clauistro Sanctomialium in *Seu-*  
*seliz* in proprium dat vineam, quam *Martinus Biz*,  
resignauit: data est *Misne* eod. ann. e) Data est  
*Dresden* in octaua B. *Andreae Apostoli* eod. ann.  
In his singulis nullum nisi *Misn.* et *Orient. March.*  
elogium appetat, add. **HORN.** Cod. Dipl. n. 49.  
et 50.

(58) Vnum datum est ap. *Tarant* 3. Non. Jun. et re-  
spicit castrum, quod *Sathan* vulgariter nuncupatur;  
in quo *Henricus Misn.* et *Or. March. Albertus*  
*Thuringior. Landgr.* et *Sax. Coni. Pal. Theoderi-*  
*cus* autem *Marchio de Landesberch* dicuntur,

D 2

testi-



Non ignoro, in literis quibus *Rudolphus*,  
*Rex Romanorum*, ann. 1277. fundationem  
et dotationem monasterii in *Seuseliz*, et quic-  
quid

testibus Magistro Gerhardo, Protonotario, Alberto,  
Dapifero de Burne, Henrico Camerario de *Gnan-*  
*stein* et aliis quam pluribus fide dignis; Alterum  
*Dresde* in vigilia B. Thomae, praesentibus Fratre  
Reinhardo, Abbe Portensi, Henrico de *Syden*, Fri-  
derico Magistro *Coquinae*, et aliis quam pluribus  
fide dignis, quo Coenobio S. Mariae in *Cella 3.*  
mansi conferuntur, quos eidem Hugo de *Tuben-*  
*heim*, miles donauit. Et quamvis literis, quibus  
eodem anno *Monasterio B. Afrae Misnensis Ciuitatis 8.* mansos contulit, hos titulos praemissos esse  
affirmet **REINHARDVS p. 19.** in Authentico ta-  
men, quod in Archiuo Dresdensi asseruatur, illi non  
reperiuntur.

(59) Vid. **HORN. dipl. 51.** Carent etiam *ineditae*,  
quae datae sunt *Dresdae Id. Mai. 1276.* praesentibus  
Alberto Dapifero de Burne, Henrico de *Syden*,  
*Hermanno de Grunenbach*, militibus, Domino *Hen-*  
*rico Plebano in Donyn*, etc. et *aliae*, quibus mona-  
sterio *Cellensi* villam *Crumpach* tradidit. Dat. *Dre-*  
*sden* per manum Magistri *Geuehardi*, Praepositi in  
*Hayen*, Protonotarii, 15. *Cal. Iun.* nec non *illae*, quae  
datae sunt eod. ann. *Dresden*, praesentibus Alberto  
Dapifero de Burne, Henrico Camerario de *Gnanen-*  
*stein*, Sifrido de *Lybenhain*, Domino *Heinrico Ple-*  
*bano in Lobda* et aliis quam plurimis fide dignis.

quid *Henricus* noster, vel alii Christi fideles, eidem monasterio dederint, vel in futurum conferendum duxerint, confirmavit, *Henricum Comit. Palat. Sax.* elogio ornari; (60) sed scio etiam, in aliis, ejusdem *Rudolphi* literis, solo *Marchionis Misn.* nomine eum compellari, (61) et ipsius *Henrici*, quae anno 1277. (62) et 1278. (63) data sunt diplomas,

D 3 mata,

(60) Datae sunt *Viennae* ann. 1277. 4. *Non. Mart.* add.

REINHARD. *Dissert. l. c. p. 20.*

(61) In literis, quibus anno 1278. *Henrici* filium, *Friedericum*, ex *Elisabetha de Maltiz* suscepimus, et vniuersos liberos, si quos ab eisdem parentibus procreari contigerit, in futurum ab omni seruili, seu ministerialis conditionis respectu, de plenitudine regiae potestatis eximit, et ingenuitatis, ac liberi partus honore et titulo perpetuo insignit, vid. *Opusc. Iur. Publ. c. l. p. 42. lit. s. et HORN. Dipl. 52.*

(62) Huc pertinent literae, per quas *Henricus* monasterio *Cellensi*, in quo coniux sua, *Domina Agnes*, condita iacet, 7. marcas argenti, in moneta *Freybergensi*, testamenti nomine assignat, et ita confert, ut de ipsis in anniversario memoratae Coniugis suae, in simila et vino *Herbipolensi*, vel aequipollente, et bonis piscibus, conuentui dicti monasterii procuratio seruiatur. Quibus subscripterunt *Hermannus de Maltiz*, *Hermannus de Tannenuelt*, *Marchionis Marschallus*, *Fridericus Magister Coquinae*, *Hermannus*

mata, nonnisi *Misn.* et *Orient. March.* titulum praeferre.

Ab

mannus de *Grumbach*, et alii quam plurimi, tam clerici, quam laici, fide digni. Dat. *Dresden ann. 1277. prid. Cal. Oct.* Eadem est ratio diplomatici, quo idem *Marchio* clauistro in *Muhlberg*, in proprium dat vnam marcam annui census et modium pisae, vnum *lapidem cereae* et 4. *lapides sepi*, quae *Bodo* et *Otto*, fratres de *Ilburg*, eidem clauistro assignarunt, et in manus ipsius *Marchionis* resignarunt. Dat. *Tharant ann. Dom. 1277.*

(63) Sufficiet nobis duas allegare chartas: *vnam*, qua *Henricus, Dei Gratia, Misnenf. et Orient. Marchio, Abbati et conuentui monasterii Cellensis indulget, vt loco casae, in qua metallum comburi solebat, apud Curiam Bore sitae, et cum aliis pluribus casis, mandato Marchionis dirutae, aliam casam, cum duobus follibus, in eodem loco reaedificant, et posse* dient, dat. *Dresden ann. Dom. 1278. IV. Non. Sept. praesentibus testibus, Magistro Geuehardo, Marchionis Protonotario, Alberto Dapifero de Burne, Hermanno de Maltiz, Friderico Magistro Coquinae; et aliis pluribus fide dignis: alteram, qua idem *Henricus* testatur de compositione controviciae, inter Capitulum Misnenf. Ecclesiae et Hermanum et Albertum, fratres milites, dictos de Pinuwiz, nec non Tammonem de Doblin agitatae. Dat. Dresden in provinciali placito, ann. Dom. 1278. 6. Cal. Augusti, praesentibus testibus, Dominis TICE-  
MANNO*

Ab hoc tempore omnes *Henrici* nostri literae, quas mihi quidem inspicere licuit, carent elogiis *Landgravii Thur.* et *Com. Palat. Saxon.* (64) ut non vana mea fuerit conie-  
ctura,

*MANNO Iuuene Landgrauio, Ottone Burggraui de Donin, etc. Alberto Dapifero de Burne, Heinrico de Waldowe, etc. et aliis nobilibus et militibus dignis.*

(64) Non modo quae diuulgatae dudum sunt ab aliis, vid. *HORN Cod. Diplom. dipl. 53—66*; sed et inde ditae omnes. Ex pluribus, quae in manus meas venerunt, paucas commemorabo. (a) Quibus *Henricus* villam *Gryfendorf*, quam *Reinhardus Pugil*, civis in *Dresden*, nobili viro *Theoderico*, *Burggraui de Aldenburg*, et hic ipsi *Marchioni* resignauit, eiusque proprietatem in Monasterium de *Cela*la transfert. Dat. *Dresden*. anno 1284. 5. Cal. April. praeſentibus nobili viro *Ottone Burggrāui de Wyrbn*, *Heinrico de Syden*, *Friderico Magistro Coquinae*, *Hermanno de Tannenvelt*, *Adolpho, Notario Marchionis* et aliis. (b) Quibus idem *Henricus* transfert in Monasterium *Sanctimonialium* in *Molberch* bona in villa *Cowertiz* cum iure patronatus eiusdem villae, quae fidelis suus *Bodo, senior, de Illeburgh*, eidem Monasterio donauit. Dat. *Dresden*. ann. Dom. 1285. pridie *Calend. Augusti*.

(c) Quibus Monasterio *Sanctimonialium* in *Stu-*  
*mellachow* mansum, qui vulgari vocabulo *Waldhus* nuncupatur, tradit et confert. Dat. *Dresden*. anno 1286.

atura, qua post ann. 1268. non facile in diplo-  
matibus ea reperiri, scripsi, cum inter tam  
multa, quae extant, aut in archivis latent,  
vix vnicum inuenire liceat, his titulis insigni-  
tum. (65)

Quae

1286. 12. Cal. Octōbr. (d) Quibus donat, tradit et  
ad iicit Monasterio B. Afræ in Misna, proprietati-  
tem duorum mansorum sitorum in villa Brochtitz,  
et aliorumque bonorum, quae eorum venditores in  
nobilis viri Meinheri, Misnenis Burggrauii, hic  
autem in ipsius Marchionis, tanquam superioris  
ardis Domini, manus resignarunt. Dat. Dresden. ann. Dom.  
1286. 2. Non. Iul. (e) Quibus Henricus M. et O. M.  
et Fridericus, Marchio de Landsberc, ad preces fide-  
lrium suorum Alberti Dapiferi de Burnis, senioris et  
Alberti, filii eiusdem, conferunt Monasterio San-  
ctimonialium in Molberg 6. mansos in villa Lube-  
raze iure proprietatis cum iudicio. Dat. Dresden  
ann. 1287. 7. Id. Mart. (f) Quibus vniuersis ad-  
uocatis et iudicibus per terram suam constitutis,  
mandat, et districtius iniungit, ut Sanctimoniales  
in Sufeliz et earundem bona et homines in nullo  
contra debitum vexent, permittentes, eas Sancti-  
moniales ut suis iuribus et libertatibus in suis bo-  
nis et hominibus, quae et quos eis pietatis intuitu  
donavit. Dat. Dresden anno 1287. in vigilia Iacobi  
Apostoli.

(65) Vid. Op. Iur. Publ. l. c. p. 42. lit. l. Imo nullum  
omnino, si Rudolphi Imperat. confirmationem  
funda-

Quae vero causa fuerit, cur ab eo tempore illis, aut abstinuerit, aut rarius, quam antea, usus fuerit *Henricus*, alii viderint, si modo ratio eorum reddi potest, quae ex arbitrio Principis et scribarum, quos tabulis conficiendis adhibuit, pependent. Non improbabile autem est, cessionem *Thuringiae* ann. 1265. factam, praecipuam mutationi tituli ansam praebuisse. (66) *Albertus* certe post eam constanter usus est elogio *Landgr. Thur.* et *Comit. Pal. Sax.* (67) *Henricus* fere nunquam. (68)

Quam-

---

fundationis Monasterii in *Suseliz* excipias, quae proprie referri nequit inter literas *Henrici* Illustris.

(66) Vid. Opusc. Iur. Publ. l. c. §. 10. lit. t. p. 42.

(67) Namque statim ab hoc tempore *Albertus Thur. Landgr. et Sax. Com. Pal.* titulos assumvit. Docent hoc literae, quibus protestatur, quod lis, quam *Eberherus de Salza*, suo et fratrum suorum et sororis nomine, *Abbati* et conuentui de *Porta* mouerat, secundum ordinationem et definitionem nobilium virorum, Comitis *Friderici de Bychlingen*, Senioris, *Theoderici de Vigbeche*, *Theoderici Lewinboubt*, et ministerialium, *Bertholdi de Sloheim*, *Dapiferi*, *Bertoldi Vicedomini de Apolde*, *Gyfilheri*

E

et

Quamuis enim PEIFERVS, FABRICIVS et  
PAVLINI, (69) qui Thuringiam Alberto  
ab Henrico traditam esse scribunt, sileant de  
Saxo-

et Hermanni Stranz, fratrum de Tullestete, Rudolfi  
de Varila, et Alberti de Arnsberg, composita fit.  
Dat. ann. 1266. 3. Non. Aprilis, Indict. 9. Eosdem  
que constanti vsu retinuit, atque iis solis conten-  
tus fuit, nisi quod ann. 1288. post obitum parentis,  
titulum Misnens. et Orientalis Marchiae domini elo-  
gio Comit. Pal. Sax. subiecerit, in duobus diplo-  
matibus, quorum vnum datum est 8. Cal. Mart. al-  
terum Non. Mai., quo monasterio Celleñsi omnia  
bona, quae iusto emtionis, aut permutationis, aut  
cuiuscunque conditionis titulo, a patre suo, Domi-  
no Henrico, Illustri Principe Misnens. March. ac  
caeteris suis progenitoribus, qui ibi conditi in pa-  
ce requiescunt, compararunt, confirmat. Mox  
tamen iterum resumit priores titulos, atque eo  
ipso statim anno nouum Misnensis et Orientalis Mar-  
chiae Domini elogium omisit. Filius autem illius  
Fridericus, quem Admorsum vulgo dicunt, viuo et  
superstite patre, nunc Misnensis et Orient. March.  
et Sax. Com. Pal. nunc solo aucto Misnens. et O-  
rient. March. titulo ysus est, quod monumenta il-  
lius temporis testantur.

(68) Si pauca excipias diplomata, quae ann. 1266.  
et 1268. data sunt, de quibus dixi num. (48)  
et (54)

*Saxoniae Palatinatu*, huic tamen, quae nunc agitur, causae fatis esse potest, *Henricum*, ex quo *Landgravi* titulo abstinuit, *Comit. Pal.* etiam elogium omisisse, neque vnum sine altero adhibuisse, (70) *Albertum* quoque statim ex eo tempore vtrumque titulum coniunxisse; obuenisse hanc *Comitiam Henrico* cum *Landgraviatu* et tanquam illius accessio-  
nem; neque ostendi posse, reseruatam *hanc* fuisse, cum *Landgraviatus* transiret ad *Alber-  
tum*, aut ad mortem vsque ab *Henrico* pos-  
sessam. (71) Solus enim titulus *Comitis  
Palat. Saxon.* literis *Henrici*, quas WECKIVS  
adduxit, (72) ann. 1266. et paucis aliis (73)

E 2 prae-

---

(69) Quos circaui *Opusc. Iur. Publ. d. l. lit. t.* add.  
REINHARD. p. 20.

(70) Loquor autem de literis ipsius *Henrici*. Nam in diplomate Rudolphi Imperatoris anno 1277. *Hen-  
ricum Comitem Pal. Sax.* appellari, nulla *Landgra-  
viatus* facta mentione, ipse monui no. (60).

(71) Vid. REINHARD. l. c. p. 21.

(72) Vid. WECKII Chron. Dresd. P. II. p. 469.  
HORN. Dipl. 36.

(73) Quas allegaui no. (48). et (54).

praemissus, rem non conficit, cum in iisdem  
elogium *Landgraviatus Thuring.* quoque  
occurrat, quem nemo dixerit *Henricum* sibi  
retinuisse. Ut taceam, quod ad ipsa iura Pa-  
latinatus Saxonici attinet, nondum satis ex-  
peditum esse, an iis omnino *Henricus* un-  
quam usus fuerit. Sed in his utatur per me  
quisque suo ingenio, neque enim ausim quic-  
quam pro certo dicere, atque iam olim pro-  
fessus sum, me coniecturas tantum dare. (74)  
Facile enim est in huiusmodi argumentis er-  
rare, etiam cum alios falli putamus, et, quae  
perperam ab iis tradita esse credimus, emen-  
dare studemus. Quod apud aequos harum  
rerum arbitros mihi quoque, sicubi coniectu-  
ra aberraverim, ad culpae liberationem, aut  
errati veniam sufficiet.

Sed diutius his immorari alia negotia  
prohibent, et perueniendum tandem est ad  
rem, quae mihi scribendi haec occasio-  
nem dedit. Posteaquam enim *Serenis-  
simus*

---

(74) Vid. quae scripsi *Opusc. Iur. Publ. d. l. §. II.*  
pag. 43.

*simus ac Potentissimus Dominus,*  
**DOMINVS FRIDERICVS**  
**AVGVSTVS, Rex Poloniarum,**  
*Saxoniae Elector, Dominus meus*  
longe Clementissimus, post excessum  
Viri de Iurisprudentia et hac Academia opti-  
me meriti, **LVDERI MENCKENII,**  
parentis mei, munus *Ordinarii* in *Collegio*  
**ICTORUM** mihi demandauit, Professionis Pri-  
mariae, quae huic coniuncta, et mihi una  
cum eo clementissime assignata est, auspicia  
rite et maiorum more capienda sunt. Cui  
rei, cum proximus *dies Mercurii, qui* mensis  
huius *septimus et vigesimus* est, destinatus sit,  
*Rectorum Academiae Magnificum, Illustris-*  
*simos Comites, Vtriusque Reipublicae Pro-*  
*ceres grauissimos, nec non generofissimos*  
atque *nobilissimos Academiae huius Ciues, et*  
quotquot bonis literis favent, ea qua par  
est obseruantia, studio et humanitate ro-  
go,

go, vt Panegyrin hanc sua praesentia or-  
nare, et mihi, post sacra matutina, in  
publico solennique loco verba facturo, be-  
neuelas aures commodare ne dedignen-  
tur, hanc singularis fauoris et amoris testi-  
ficationem, cultu et obsequio, officiis, et  
grato animo omni tempore demerituro.

P.P. X. Calend. Decembr. Ann.

clo. Iocc. XXVI.

---

LITERIS IMMANVELIS TITUL



QR K 1337a

nc



**ULB Halle**


002 711 427

3



VDA8





AK. 15, 8

I, 191

RECTOREM ACADEMIAE  
MAGNIFICVM  
ILLVSTRISSIMOS COMITES  
VTRIVSQUE REIPVBЛИCAE PROCERES  
NEC NON  
GENEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS  
HVIVS ACADEMIAE CIVES  
A D  
AVDIENDAM  
**ORATIONEM**  
Q V A  
**PROFESSIONEM IVRIS**  
PRIMARIAM  
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATAM  
PROXIMO DIE MERCVRII  
H. L. Q. C.  
AVSPICABITVR  
OFFICIOSISSIME ET HVMANISSIME  
INVITAT

MICH. HENRICVS GRIBNER JCTVS.  
*de Tit: Comit: Polab: Saxon: ex Diplomat: Henrici Mart:*